

10. Contra Scripturam sacram est, quod viri Ecclesiastici habeant possessiones.
11. Nullus Prælatas debet aliquem excommunicare, nisi prius sciat esse illum excommunicatum a Deo; & qui sic excommunicat, est hæreticus ex hoc; vel excommunicatus.
12. Prælatas excommunicans Clericum, qui appellavit ad Regem, vel ad Concilium regni, eo ipso traditor est Regis & regni.
13. Illi qui dimittunt prædicare seu audire Verbum Dei propter excommunicationem hominum, sunt excommunicati, & in die iudicii traditores Christi habebuntur.
14. Licet alicui Diacono vel Presbytero prædicare verbum Dei abque auctoritate Sedis Apostolicæ, vel Episcopi Catholici.
15. Nullus est Dominus civilis, nullus Prælatas, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali.
16. Domini temporales possunt ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab Ecclesia, possessionatis habitualiter delinquentibus, id est ex habitu, non solum acta delinquentibus.
17. Populares possunt ad suum arbitrium Dominos delinquentes corrigere.
18. Decimæ sunt puræ elemosinæ, & Parochiani possunt propter peccata Prælatorum suorum ad libitum auferre eas.
19. Speciales orationes applicate uni personæ per Prælatos vel Religiosos, non plus profunt eidem quam generales, ceteris paribus.
20. Conferens elemosinam Fratribus est excommunicatus eo facto.
21. Si quis ingreditur religionem privatam qualemcumque tam possessionatorum, quam mendicantium, redditur ineptior & inhabilior ad observantiam mandatorum Dei.
22. Sancti influentes religiones privatas, sic influendo peccaverunt.
23. Religiosi viventes in religionibus privatis non sunt de religione Christiana.
24. Fratres tenentur per labores manuum victum acquirere, & non per mendicitatem.
25. Omnes sunt simoniaci, qui se obligant orare pro aliis, eis temporalibus subvenientibus.
26. Oratio præfata nulli valet.
27. Omnia de necessitate absoluta eveniunt.
28. Confirmatio juvenum, Clericorum ordinatio, locorum consecratio, reservantur Papa & Episcopis propter cupiditatem lucri temporalis & honoris.
29. Univeritates, studia, & collegia, graduationes & magisteria in eisdem sunt vana gentilitate introducta, & tantum profunt Ecclesiæ sicut diabolus.
30. Excommunicatio Papæ, vel cuiuscumque Prælati, non respicienda, quia est censura Anti-Christi.
31. Peccant fundantes claustra, & ingredientiæ sunt homines diabolici.
32. Ditare Clerum, est contra regulam Christi.
33. Sylvester Papa & Constantinus Imperator erraverunt Ecclesiam dotando.
34. Omnes de Ordine Mendicantium sunt hæretici: & dantes elemosinam eis, sunt excommunicati.
35. Ingrediens Religionem, vel aliquem Ordinem, eo ipso inhabilis sunt ad servanda divina præcepta; & per consequens ad perveniendum ad regna celorum, nisi apostaverint ab eisdem.
36. Papa cum omnibus Clericis suis professionem habentibus sunt hæretici, eo quod possessionem habent, & consentientes eis, omnes videlicet Domini faculares, & ceteri laici.
37. Ecclesia Romana est Synagoga Satanae, nec Papa est immediatus & proximus Vicarius Christi & Apostolorum.
38. Decretales Epistolæ sunt apocryphæ, & seducunt a Christi fide. Et Clerici sunt stulti, qui studeant eas.
39. Imperator & Domini sæculares seducti sunt a diabolo, ut Ecclesiam dotarent bonis temporalibus.
40. Electio Papæ a Cardinalibus per diabolum est introducta.
41. Non est de necessitate salutis credere Romanam Ecclesiam esse superiorem inter alias Ecclesias.
42. Fatuum est credere indulgentiis Papæ & Episcoporum.
43. Juramenta illicita sunt, quæ sunt ad roborandum humanos contractus & commercia civilia.
44. Augustinus, Benedictus, Bernardus, damnati sunt, nisi penitentur de hoc, quod habuerunt possessiones, & influerunt, & intraverunt religiones: sic a Domino Papa usque ad infimum religiosum omnes sunt hæretici.
45. Omnes Religiones indifferenter introductæ sunt a diabolo.

Sacra Constantiensis Synodus articulos istos ac propositiones declarat majore ex parte hæreticas, alias respectively erroneas, scandalosas, piarum aurium offensivas, temerarias, sediciosas. Prohibuit quoque Wicleff libros, Dialogum, Trialogum, aliosque quocumque nomine censeantur, teneri, legi, aut allegari, nisi ad refellendum. Jubeat inquiri diligenter, & quoscumque reperiri poterunt, igne cremari sub anathematis pœna. Examinatis autem testibus super auctoris impenitentia finali, mandat ejus ossa, si fecerint possunt, exhumari, & procul ab Ecclesia jacari.

2. Quia vero sub finem secundæ sessionis, Joannes Papa metuens, ne pro sua pollicitatione compelleretur ad abdicandum se Pontificatu, inopinatè de nocte fugam versus concium hujus discessionis Ffridericum Austriæ Ducem capessiverat, post exactas hujus evasiones perquisitiones, missaque ad Joannem iteratas Legationes, & citationes, sessione tandem 11. præsidente Joanne Cardinali Episcopo Ostiensi, qui etiam post discessionem Pontificis antea præfederat, ad petitionem procuratoris Concilii, consentientibus quatuor Nationum Syndicis ac Procuratoribus, videlicet Archiepiscopo Mediolanensi pro natione Italica, & Electo Polniamensi pro Germanica, & Abbate Sancti Lupi pro Gallicana, & Thoma Poltensi pro natione Anglicana, institui cepit criminalis processus & inquisitio juridica, quæ illum onerat nefariis criminibus simoniae frequentissime iteratæ, adeo ut omnia sacra apud illum venalia essent. Præterea rapinarum, peculatus, dilapidationis rerum ac bonorum Ecclesiasticorum, immanium vexatiliam, oppressionis pauperum omnis generis tum Clericorum tum laicorum. Insuper vite per impudicicam scandalosæ, effastique in notoria adulteria, incestus, & supra, ad hæc notoria iteratæque evasione & fugæ contra præstitum juramentum, ut se hinc per ejus ambitionem perduraret. Crimina ista comprehensa erant articulis quatuor & quinquaginta, quorum singuli multi probati erant omni exceptione majoribus testimoniis Cardinalium, Episcoporum, Abbatum, Principum virorum, multisque irrefragabilibus scripturis publicis, & privatis, quæ plenius referuntur in hujus Concilii actis. His superaddita fuere alia quedam accusationes de occulto per venenum Alexandro Pontifice, ut ejus dignitati succederet, de hæresi contra rationalium animarum immortalitatem, quam negasse ferebatur, aliisque gravibus culpis, sed horum ultimorum nulla in hoc iudicio habita est ratio, quorum nullæ proferuntur probationes. Probatur vero Joannis in præcedentibus sceleribus obstinata perversitas, quatenus sapius rogatus & admonitus ab his desisteret, cessaretque universæ Ecclesiæ, quin & ipsis infidelibus & hæreticis scandalo esse, nullum emendationis morum specimen exhibuisset unquam.

3. Reliqua ad historiam Concilii hujus spectantia breviter pro nostro instituto in Synopsi prælibavi. Qui fuerant ex quatuor Nationibus a Concilio ad hoc officium instituti Procuratores; cum aliis Prælati & præclaris viris ad valvas Ecclesiæ, in qua Synodus habebatur, consistentes, proclamante alta voce nomine omnium Joanne Patriarcha Antiocheno ex Gallicana natione selecto, Joannem Papam cum omnibus ejus receptoribus & fautoribus citantur ad Concilium proprio nomine reponsores, quorum nemine comparente iterum citatus proprio nomine Joannes fuit præsens ipse, missis a Concilio Legatis aliis, qui Cellam vicinam Constantiæ vicum profecti, quo fuerat adductus Joannes, ibique sub militari custodia detinebatur, cui, Joanne Vautenti Episcopo pro cunctis loquente, significati sunt in scriptoque traditi inquisitionis criminalis jam memorati articuli, ut si quid haberet defensionis, ipsi sacrosancto Concilio intra præstitum diem præsens proponeret. At Joannes interpellatus respondit se ratum habere, & quantum in se erat, approbare, omni si qua sibi supererat auctoritate facti Concilii editum adversus se processum, ejus se jurisdictioni subjicere, nihilque in oppositum habere defensionis: se porro in potestate illius esse velle, iudicioque ejus obtemperaturum, nec modo Papali sed etiam Cardinalitatis dignitate cessurum, si hoc quoque sacre Synodo visum fuerit. Eaque de re priusquam ad Synodum Legati revertentur, conscriptum est authenticum instrumentum.

4. His ita gestis & relatis, sacrum Concilium definitivam protulit sententiam, qua Joannes dictus XXIII. declarat contra fidem iurejurando promissam fugæ criminalis convictus, Sacri Concilii prævaricator, & delusor, ceterorumque scelerum in iudicia inquisitione expressorum convictus reus & confessus, proindeque ut potè universæ Ecclesiæ dissipator & scandalosus administrator Summo Pontificatu deponitur, nunquam deinceps eligendus, sed sub custodia Sigismundi Romanorum & Hungariorum Regis, quandiu Concilio visum fuerit, detinendus. Idemque adversus Angelum de Carriario

riario dictum Gregorium XII. & contra Petrum de Luna, dictum Benedictum XIII. perpetuo & irrevocabili edicto decernitur, cum prohibitione sub interminatione divinæ ultionis, & anathematis pœna, adversus quemcumque cuiuscumque conditionis & gradus, qui horum aliquem pro Pontifice haberit, aut ut tali obediverit, vel ad eum recurreret ut Pontificem. Datum Constantiæ in sessione 12. facti Concilii generalis die Mercurii 29. mensis Maji anno Domini 1415. indictiōne octava. Biduo post, significatum istud iudicium. Quod idem ipse concessit ad respondendum paucarum horarum interstitio approbavit, edito hac de re scripto. Simulque Crucem Papalem de Camera sua fecit amoveri. Concilioque humiliter acquiescens, reliqua omnia supremæ dignitatis insignia exiit & a se abdicavit.

5. Post hæc celebrata est sess. 13. præsidente Joanne Ostiensi Cardinali, ut prius. In hac ad petitionem Promotorum seu Procuratorum sacri Concilii editum fuit decretum prohibens quibuscumque aliis a Sacerdotibus ad sanctum Altare sacrificantibus porrigere vel sumere Sacramentum Eucharistiæ nisi sub specie panis, aut communicandi nisi jejunis, etiam si Christus JESUS hoc Sacramentum post Cœnam, & sub utraque panis & vini specie Apostolis suis distribuisset. Quæ de re invise distertationem ad calcem istius Concilii subiecit.

6. Sessio XIV. Sacri Concilii lætitiæ cumulavit. In hac enim Gregorius XII. Procuratore suo misso Carolo Malatesta Antimani Principe suam de Papatu demissionem Constantiam palam significavit. Cumque nollet Concilium adhuc pro legitimo agnoscere, facta est ipsius mandato demissio ista coram Sigismundo Augusto, qui propterea cum Proceribus Imperii, aliisque delectis viris amplissimis in aliam sedem concesserat seorsim a Concilio, sed tamen intra eandem in qua Concilium confidebat, Basilicam, ibique lectæ sunt Gregorii de sua præfati abdicacione litteræ, in acta publica per Sigismundi notarios relata. Pro certo quidem habendum est, nullam in Sigismundo utpote laico auctoritatem extitisse, istam Gregorii Papæ, quin etiam ne quidem infimi gradus Clerici beneficiati demissionem seu resignationem acceptandi. Solus enim resignationem cuiuscumque dignitatis aut beneficii Ecclesiastici potest admittere, qui conferendi potestatem habet, præclareque sacris canonibus illud constitutum est: *Omnes res per quascumque causas nascitur, per eandem dissolvuntur*, c. omnis res, 27. q. 2. & est regula prima in Decretalibus Gregorii IX. de reg. jur. Ideoque Cælestinus Papa V. Pontificatu renunciat in manus sacri Consistorii, a quo fuerat electus, quod unum potestate pollebant eligendi successorem vivente ipso renunciante, ac reipia Bonifacium VIII. eidem sublegit. Præterea Concilii Carthagenensis IV. canon 27. sapientissime decernit, nec Episcopum posse nisi de consensu Synodi, aut Provincialis, aut Nationalis suam Ecclesiam demittere, neque inferiorem Clericum, nisi consensione sui Episcopi, a quo & promovri & desinit potest. Sed sufficit ad confirmandum Gregorii XII. demissionem, quod facta Constantiensis Synodus approbarit, ratamque haberit. His adde hanc acceptandæ illius abdicacionis Pontificis facultatem potuisse a Synodo ipsi Sigismundo, aut alteri cuivis delegari. Sed etiam idem Carolus Gregorii procurator per Joannem Dominicum, qui fuerat Cardinalis obedientia Gregorii, protulit alias in forma Bullæ litteras ejusdem, per quas conventum Constantiensem ad hoc unum approbat, ut post factam a se abdicacionem spontaneam, deinceps pro legitimo & æcumenico & plenaria potestate astatim instructo Concilio haberetur. Has litteras sacra Synodus admisit non quasi ad canonicam auctoritatem sibi necessaria perinde ac si antea non habuisset, sed ad pleniorum cautelam & uberiorum certitudinem, quasi jus novum veteri juri superaddens ex accessu novæ obedientiæ cumulatum. Tunc vero Cardinales ad scamnum Cardinalium Presbyterorum, & ad osculum amplissimi Ordinis accedentem Joannem Dominicum gratulabundi Ordinis accedentem mundum vero pristinam, a qua paulisper discesserat, resumpsit sedem. Sacra vero Synodus pristinarum censurarum nexus exolvit, atque in Cardinalium cœtum S. Rom. Ecclesiæ de novo cooptavit tam ipsum, qui dictus Gregorius XII. quam illos quoque omnes, quos Gregorius idem eadem dignitate & gradu decoraverat. Postremo hac ipsa sessione 14. ne quid ad sanctam universæ Ecclesiæ unionem relinqueretur improvisum, decernitur ut Petrus de Luna dictus in sua obedientia Benedictus XIII. per procuratores Synodales solemniter requiratur, ut adimpleat quod multoties cum juramento pollicitus fuerat pro Ecclesiastica tranquillitate ac pace, suo qualicumque Papatu cedat, cum jam duorum eandem sibi dignitatem asserentium recens præcesserit *Cabassutii, Notitiæ Ecclesiasticæ.*

exemplum & incitamentum. Quod si præstare recuset, eundem sancta Synodus post decem transactos ab administratione dies declarat omni Papatu jure excidisse, schismaticum, contumacem, sanctæ Ecclesiæ illiuforem, atque hostem, una cum suis omnibus sequacibus, quos fulminibus Ecclesiasticis, & armis secularium Principum intra Ecclesiæ unitatem permanentium ut hæreticos & schismaticos subjicit in pœnam.

7. Sessio XV. Post examinatas & damnatas, ut vidimus superius, Joannis Hus propositiones hæreticas & erroneas, ipsoque in sua falsa doctrina præfate persistentes, libri ejus igitur traditi sunt, ipseque auctoritate Concilii exauctoratus, quo se indignum præbuerat, Sacerdotio, brachio traditus est seculari, cujus iudicio flammis est additus. Prodiit etiam singulare decretum Concilii damnans propositionem de tyrannicidio his editum verbis: *Præcipua sollicitudine volens hæc sacrosancta Synodus ad extirpationem errorum & hæresum in diversis mundi partibus invalescentium providere, sicut tenetur, & ad hoc collecta est, nuper accepit, quod nonnullæ assertiones erroneæ in fide & bonis moribus, ac multipliciter scandolose, totiusque republicæ statum & ordinem subvertere molientes, dogmatizate sunt, inter quas hæc assertio delata est: Quilibet tyrannus potest & debet licite & meritorie occidi per quemcumque vastillum suum & subditum, etiam per clancularias insidias, & subtiles blanditias & adulationes, non obstante quocumque præfatio juramento seu confederatione factis cum eo, non expectata sententia vel mandato iudicis cuiuscumque. Adversus hunc errorem satagens hæc sancta Synodus insurgere, & hunc ipsum funditus tollere, præhabita matra deliberatione declarat, decernit ac definit hujusmodi doctrinam erroneam esse in fide & in moribus, ipsamque hæreticam, scandalosam, & ad fraudes & deceptiones, mendacia, prodiciones, perjuria vias dantem reprobat & condemnat. Declarat insuper, decernit & definit, quod pertinaciter doctrinam hanc perniciosissimam asserentes, sunt hæretici, & tanquam tales juxta Canonicas sanctiones puniendi.*

8. Sessio XIX. Hieronymus de Praga vir laicus eloquens & variæ eruditionis, de hæresi postulat & convictus, palinodiam dixit, suamque hæresim ejuravit tum voce, tum scripto, in conspectu Concilii. Ceterum idem in pristinam relapsus perfidiam, haud multo post, dum celebratur Concilii sessio 21. se iterum publice audiri postulavit, proluxaque oratione protestatus est fuisse a se injuste reprobatam Wicleff & Hussii doctrinam, quam nunc temporis meliorem iudicio rectam, fideique divinæ conformem asseverabat. Igitur relapsus contumax & perfidiosus hæreticus dimissus est iudicio seculari, quo vivens flammis est combustus, in quarum medio (ut prodit oculatus testis Poggius Florentinus) Sathanicus martyr Deo laudes & gratias contenta voce inclamabat. Tempore quod ejus ultimam coram Concilio exhibitionem præcesserat, prudenter carcere sine charta & calamo, exclusis etiam hominibus, de quibus suspicio suboriri posset, congressibus, citra aliam omnem pœnam detentus fuerat: ne libertati redditus pristina consuetudinem resumens, alios seducere pergeret, multique sicut prius vir infidus exitio foret.

Deinde sess. 39. Ob probatam ab ipso generalium Conciliorum utilitatem, edicto perpetuo decretum fuit, ut post quinquennium a dirempto Constantiensi Concilio recensendum, alterum celebraretur, & hoc posteriore absoluto Concilio, alterum exacto septennio agatur pariter generale: quo absoluto deinceps singulis decenniis conveniant generalia Concilia in locis per Romanos Pontifices ante cuiuslibet ultimi Concilii mensent ultimum de eisdem Concilii consensu, vel in defectum Summi Pontificis ab ipsomet Concilio indicendis; indictum locum nisi occasione belli, pestis, alteriusve urgentis necessitatis commutari non posse. Decretum istud Patres his exordiuntur verbis: *Frequens generalium Conciliorum celebratio agræ Dominici cultura est præcipua, quæ vepres, spinas & tribulos hæresum, & errorum, & schismatum extirpat, excessus corrigit, deformata reformat, & vineam Domini ad frugem uberrima fertilissima adducit.* Veruntamen nulla tam sancta regula figi potest, qua homines non possint in perniciem abuti. Etenim paucis ab hinc annis generale Concilium secundum præsens hoc decretum indictum, novum in universalem Ecclesiam schisma Pseudopontificis Amedei dicti Felicis invehit.

10. Veruntamen propter insurgentes abusus, quæ aliquando sanctæ constituta fuere, non sunt convellenda, sed sollicite præcavendi sunt abusus, ne emergant. Conciliorum convocationes quantæ sunt Ecclesiis utilitati & præsidio, inde colligi potest, quia illis obstituerunt, siquæ prohibuerunt ex infidelibus Principibus illi, qui infensioribus animis bellum adversus Ecclesiam concitarunt; ideoque Episcoporum conventus sub atrocium